

et plures ferculorum appositiones. Deificum est et honestum semper moderare sumptus superfluos. Unde Bernardus in epistula de cura et modo rei familiaris¹: 'Sumptus pro militia honorabilis est, sumptus pro iuvando amicos rationabilis est, sumptus pro iuvando prodigos perditus est'. Exemplum etiam capere poteritis de statu generosi domini mei, quem nostis et ut saepe vidistis quam superhabundanter, attamen per duos transitus ministratur omnibus advenientibus et discumbentibus, sed etiam vitantur vagorum inutilium et prodigorum continuantium conventus et non ad malum sui nec animae nec bonorum temporalium.

Vino pro honestate et necessitate in curia vestra parcendum non est, sed maxime pro gulositatis prodigalitate et, quantum in vobis est, summe vitentur in vestri praesentia isti modi appotandi, qui heu heu! permultum regnant in istis partibus, unde summa mala oriuntur. De usu vini dicit Bernardus in libro unde supra²: 'Qui in diversitate vinorum et habundantia sobrius est, ille est terrenus deus, ebrius nihil recte facit, nisi dum in lutum cadit. Si sentis vinum, fuge consorcium. Quaere somnum potius quam colloquium. Qui se ebrium verbis excusat, ebrietatem suam aperte accusat. Male sedet in iuvene cito vina agnoscere'. Haec Bernardus.

Facto prandio fiant per sacerdotem vestrum omnipotenti deo (f. 246^v) debitae gratiarum actiones de singulis vobis datis atque dandis. Unde beatus Augustinus: 'Quid est de datis deo gratias agere, nisi ipsum ad plus dandum incitare?'

Et si tunc vacaveritis et necessaria tractare non habueritis, recreatoriis et solaciis, prout placuerit et decuerit, uti poteritis; unde poeta³:

'Interpone tuis interdum gaudia curis'.

Et ymmo non negligatur, si aliquomodo horola ad hoc vacaverit, quin studiis seu sacris relationibus insistatis. Hoc summe vires recreat, sensus renovat et hominem deo unit. Unde dominus in Matthaeo⁴: 'Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore domini'.

De vestibus dicit beatus Bernardus ad eundem militem, quod 'vestis sumptuosa probatio est pauci sensus. Vestis nimis apparens pluribus cito taedium parit. Ergo

1) Opera, Basileae 1566, p. 1381. 2) A. a. O. S. 1382. 3) Catonis Dist. III, 7. 4) 4, 4.